

Venus und Adonis

Ov. met. 10,519-559 und 708-739

*Labitur occulte fallitque volatilis aetas,
et nihil est annis velocius: ille sorore* 520
*natus avoque suo, qui conditus arbore nuper,
nuper erat genitus, modo formosissimus infans,
iam iuvenis, iam vir, iam se formosior ipso est,
iam placet et Veneri matrisque ulciscitur ignes.*
namque pharetratus dum dat puer oscula matri, 525
*inscius exstanti destrinxit harundine pectus:
laesa manu natum dea reppulit: altius actum
vulnus erat specie primoque fefellerat ipsam.*
*Capta viri forma non iam Cythereia curat
litora, non alto repetit Paphon aequore cinctam* 530
*piscosamque Cnidon gravidamve Amathunta metallis;
abstinet et caelo: caelo praefertur Adonis.
hunc tenet, huic comes est adsuetaque semper in umbra
indulgere sibi formamque augere colendo*
per iuga, per silvas dumosaque saxa vagatur 535
*fine genus vestem ritu succincta Dianae
hortaturque canes tutaque animalia praedae,
aut pronos lepores aut celsum in cornua cervum
aut agitat dammas; a fortibus abstinet apris*
raptoresque lupos armatosque unguibus ursos 540
*vitat et armenti saturatos caede leones.
te quoque, ut hos timeas, siquid prodesse monendo
possit, Adoni, monet 'fortis' que 'fugacibus esto'
inquit; 'in audaces non est audacia tuta.*
parce meo, iuvenis, temerarius esse periclo, 545
*neve feras, quibus arma dedit natura, lacesse,
stet mihi ne magno tua gloria. non movet aetas
nec facies nec quae Venerem movere, leones
saetigerosque sues oculosque animosque ferarum.*
fulmen habent acres in aduncis dentibus apri, 550
*impetus est fulvis et vasta leonibus ira,
invisumque mihi genus est.' quae causa, roganti
'dicam' ait 'et veteris monstrum mirabere culpae.
sed labor insolitus iam me lassavit, et, ecce,
opportuna sua blanditur populus umbra,* 555
*datque torum caespes: libet hac requiescere tecum'
(et requievit) 'humo' pressitque et gramen et ipsum
inque sinu iuvenis posita cervice reclinis
sic ait ac mediis interserit oscula verbis:*

Venus erzählt die Geschichte von Hippomenes und Atalanta, denen sie zur Hochzeit verhalf, die sie später aber auch aus Zorn in Löwen verwandelte. Atalanta, eine ebenso schnelle wie schöne Läuferin, hatte einem Orakel zufolge nicht heiraten sollen und pflegte, um ehelos zu bleiben, ihre Heiratskandidaten zum Wettlauf heraus-zufordern, bei denen der Verlierer mit dem Leben bezahlte. Da auch Hippomenes unterliegen würde, rief er Venus zu Hilfe. Sie gab ihm drei goldene Äpfel, die er beim Wettrennen Atalanta in den Lauf warf. Sie lenkten das Mädchen ab und Hippomenes gewann den Lauf und damit Atalanta. Später hatten die beiden jedoch in einer heiligen Grotte bei einem Venusheiligtum ein intimes Rendezvous und wurden daraufhin von der Göttin zur Strafe in Löwen verwandelt. Weil sie so in den Wäldern umherstreifen, legt Venus Adonis nahe, sich den Gefahren der Jagd nicht auszusetzen.

*Illa quidem monuit iunctisque per aera cynnis
 carpit iter, sed stat monitis contraria virtus.
 forte suem latebris vestigia certa secuti 710
 excivere canes, silvisque exire parantem
 fixerat obliquo iuvenis Cinyreius ictu:
 protinus excussit pando venabula rostro
 sanguine tincta suo trepidumque et tuta petentem
 trux aper insequitur totosque sub inguine dentes 715
 abdidit et fulva moribundum stravit harena.
 vecta levi curru medias Cytherea per auras
 Cypron olorinis nondum pervenerat alis:
 agnovit longe gemitum morientis et albas
 flexit aves illuc, utque aethere vidit ab alto 720
 exanimem inque suo iactantem sanguine corpus,
 desiluit pariterque sinum pariterque capillos
 rupit et indignis percussit pectora palmis
 quetaque cum fatis ,at non tamen omnia vestri
 iuris erunt' dixit. ,luctus monumenta manebunt 725
 semper, Adoni, mei, repetitaque mortis imago
 annua plangoris peraget simulamina nostri;
 at cruor in florem mutabitur. an tibi quondam
 femineos artus in olentes vertere mentas,
 Persephone, licuit: nobis Cinyreius heros 730
 invidiae mutatus erit?' sic fata cruorem
 nectare odorato sparsit, qui tinctus ab illo
 intumuit sic, ut fulvo perlucida caeno
 surgere bulla solet, nec plena longior hora
 facta mora est, cum flos de sanguine concolor ortus, 735
 qualem, quae lento celant sub cortice granum,
 punica ferre solent; brevis est tamen usus in illo;
 namque male haerentem et nimia levitate caducum
 excutiunt idem, qui praestant nomina, venti.*